

maxime eis prædicari Evangelium qui prævidentur credituri, quando illi sunt prædestinati, et ad salutem electi: nam propter electos maxime Deus suam gratiam communicat. Unde fieri potest ut propter paucos electos prædicetur Evangelium, ubi plures sunt repugnaturi, et tunc occasione electorum, quibus datur auxilium efficax, datur reliquis audientibus auxilium sufficiens. Et ad hunc modum, ex hac radice, adæquata ratio redditur hujus mirabilis varietatis providentiæ divinæ, quantum in hac vita, juxta divinam Scripturam, conjectare possumus.

20. Respondetur argumentis Massiliensium.

— Argumento primo. — Argumento secundo.

— Ad argumenta ergo Massiliensium respondeo. Ad primum dicitur, verba illa Sapientis: *Æqualiter est illi cura de omnibus*, solum significare æqualitatem in universalitate, quia omnium rerum, nulla excepta, habet providentiam Deus, et in hoc est quædam æqualitas, quia sive sint res magnæ, sive minimæ, omnium in particulari et in individuo habet providentiam. Nihilominus tamen, quoad effectus providentiæ, et modos ejus, est varietas in divina providentia, vel juxta Dei arbitrium, vel secundum proportionem et unicuique convenientem rationem, et hoc modo dixit Paulus 1 Corinth. 9: *Numquid de bobus cura est Deo?* non quia nulla sit, sed quia non talis qualem habet de hominibus, vel de prædicatoribus evangelicis, de quibus Paulus ibi tractabat. Deinde dicimus sermonem Sapientis ibi esse de justitia in retribuendis pœnis: dixerat enim quod *potentes potenter tormenta patientur*, et ideo adduxit rationem, quod Deus non accipit personas, et quod pusillum et magnum ipse facit, quia in negotio justitiæ æquitatem servat, atque ita æqualitatem etiam servat, utique justitiæ. At vero in negotio gratiæ, non oportet ut servet æqualitatem, quia non ut iudex, sed ut Dominus absolutus illam confert: et ita, licet majorem vel minorem tribuat, non accipit personam, nec tenetur, quos æqualiter creavit, æqualiter gratificare, quia sunt beneficia diversorum ordinum, quanquam etiam in ipso ordine naturæ plura etiam beneficia quibusdam conferat quam aliis, solum quia vult, vel quia ita voluit causas universi disponere. Et hoc est quod Paulus dixit Roman. 9, esse in potestate figuli, ex eadem massa facere unum vas in honorem, et aliud in alium inferiorem usum. Ad secundum, respondemus testimonia illa Sanctorum intelligenda esse juxta priorem mo-

dum æqualitatis, qua Deus ex se nemini gratiam suam negat, et omnibus illam offert æqualiter, id est, nullo excepto, seu æqualiter, quantum ad gradum sufficientiæ; in latitudine autem illius non negant dare illam copiosorem in majori, vel minori, secundum consilium voluntatis suæ, et dividens singulis prout vult.

## CAPUT XX.

### DE CONCORDIA LIBERI ARBITRII CUM NECESSITATE SUFFICIENTIS AUXILII PRÆVENIENTIS.

Hic est veluti scopus totius disputationis hujus libri, et ideo, licet resolutio puncti, in hoc titulo propositi, ex discursu totius libri manifesta sit, utile nihilominus erit eam breviter proponere, et totius libri doctrinam veluti in summam colligere. Libertas ergo arbitrii duas includit partes, seu potestates, ut supra dixi, scilicet potestatem agendi, et potestatem non agendi, seu oppositum faciendi. Unde duo repugnare videntur usui libertatis, videlicet impotentia actum faciendi, et necessitas faciendi, seu, quod idem est, impotentia suspendendi actum, vel faciendi alium repugnantem. In præsentibus ergo nulla est difficultas de concordia auxilii sufficientis cum libertate arbitrii ex ea parte qua requirit potestatem non agendi, quoniam hanc ipsam requirit auxilium sufficiens, quatenus tantum seu præcise est sufficiens; quia illud dicitur auxilium sufficiens, quod, licet det posse, in re non dat agere, aut velle, nec per se postulat ut illud det infallibiliter, et ideo optime componitur auxilium sufficiens, non solum cum potestate non agendi, sed etiam cum ipsa carentia actionis. Ex hoc ergo capite non est in præsentibus difficultas, sed illa pertinet ad auxilium efficax, et in libro sequenti tractabitur. Difficultas ergo præsens est de concordia sufficientis auxilii cum libertate arbitrii, ex ea parte qua potestatem faciendi requirit.

1. *Discutitur punctum difficultatis circa auxilium sufficiens.* — Ad difficultatem ergo explicandam, oportet ulterius advertere, aliud esse loqui de efficacia auxilii sufficientis, quam de se, seu in actu primo habet, aliud de necessitate talis auxilii. Nam tale auxilium, ratione suæ efficacitatis, tantum abest ut repugnet libertati, ut potius compleat illam, si alioqui tale auxilium necessarium sit ad operandum, ut ipsa ratio sufficientis auxilii includit, et nomen indicat. Dicitur enim auxilium

sufficiens, quod dat posse: nam si supponat posse, solum dabit facilius posse, et ita jam non erit tantum sufficiens, sed abundans, sicut habitus acquisitus non est tantum auxilium sufficiens, sed plus quam sufficiens, et augens virtutem agendi, alias sufficientem. Auxilium autem gratiæ, quod præcise dicitur sufficiens, non supponit sufficientem potestatem, sed dat illam, et ideo merito dicitur complere libertatem arbitrii, ex ea parte qua libertas potestatem agendi requirit. Unde etiam nulla est difficultas in concordia talis auxilii, positi in potentia, cum ejus libertate. Difficultas ergo solum esse potest in carentia talis auxilii, supposita ejus necessitate. Nam si necessarium est, sine illo non est potestas agendi; ergo nec integra libertas; sæpe autem contingit deesse tale auxilium, saltem propter hominis impedimentum; ergo tunc actio et omissio non est libera: in contrarium vero est, quia, non obstante carentia auxilii, actio vel omissio imputatur ad culpam; ergo est libera.

2. *Consideratur auxilium sufficiens in ordine ad singulos actus in particulari.* — Tertio, ad hanc concordiam explicandam, necessarium est libertatem agendi considerari in ordine ad singularem actum, cum determinatione omnium circumstantiarum et conditionum quæ hic et nunc ad agendum requiruntur; duobus enim modis possumus loqui de potestate agendi, et non agendi; uno modo, in confuso respectu alicujus multitudinis actionum vel omissionum, quæ non simul, sed successive occurrunt; ut dicitur homo posse vel non posse servare omnia præcepta, vel vitare omnia peccata collective longo tempore; quæ potentia et impotentia non consideratur in singulis actibus, nec in aliquo in particulari, sed in toto illo cumulo; unde magis est potestas continuandi, vel perseverandi, quam simpliciter agendi, vel non agendi. Alio modo consideratur potestas hæc in ordine ad singularem actum, hic et nunc in tali materia, et cum talibus circumstantiis faciendum vel vitandum. Dicimus ergo libertatem arbitrii esse hoc posteriori modo considerandam, quia actiones sunt singularium, et cum omnibus ad singularem requisitis exercentur, et ideo sic actio libera exercetur, et usus libertatis in sola tali actione cernitur et locum habet; respectu vero objecti confusi, seu multitudinis actuum collective sumptorum, in tantum erit potestas libera, in quantum in singulis actibus libere possit exerceri, quia non exercetur libertas immediate circa totam collectionem, sed ra-

tione singulorum, et sigillatim circa unumquemque, unde fieri non potest ut sit libertas ad collectionem totam, si vel in uno singulari actu desit; e contrario vero accidere potest ut detur potestas libera ad singulos, et nihilominus quod simpliciter non possit totam collectionem indefectibiliter explere, non physica impotentia, sed morali, ut in lib. 4 explicatum est. In præsentibus ergo auxilium vere sufficiens considerandum est in ordine ad singulos actus, in particulari sumptos; nam si tale fuerit, hoc satis erit ad illius cum libertate concordiam, etiamsi fortasse, secundum potestatem moralem, illud non satis sit ut possit homo simpliciter et moraliter totam aliquam collectionem actuum continuata serie efficere, quia talis impotentia potest esse, ut dixi, cum arbitrii libertate, ac proinde etiam esse potest cum auxilio sufficienti ad liberum usum; an vero ex divina providentia taliter detur, necne, lib. ult., tractando de perseverantia, dicemus.

3. *Effectus ad quos auxilium sufficiens potest esse necessarium.* — *Effectus primus.* — *Effectus secundus.* — Tandem sunt duo effectus liberi, ad quos necessarium esse potest auxilium sufficiens: unum est, vitare aliquod peccatum, sive non violando negativum præceptum, sive implendo præceptum affirmativum: aliud est efficere aliquem actum supernaturalem, ut talis est, sive fiat ex præcepto, sive non, et sive ita fiat ut possit omitti sine peccato, vel ad vitandum peccatum necessarium sit; semper enim ad talem actum efficiendum est auxilium gratiæ necessarium. Unde potest etiam distingui necessitas auxilii sufficientis ad hunc vel illum effectum; nam ad primum interdum requiritur per se, ut in vitandis peccatis contra præcepta supernaturalia affirmativa, interdum in casu, et quasi per accidens ob extrinsecam difficultatem, ut in implendo præcepto naturali tempore gravis tentationis, vel difficultatis. Ad posteriorem autem effectum requiritur per se propter excellentiam talis actus: et ideo ad hunc posteriorem effectum requiritur auxilium per se supernaturale: ad primum autem sufficere potest speciale auxilium gratiæ, etiamsi naturalis ordinis sit, quæ omnia ex dictis in superioribus manifesta sunt.

4. *Regula prima.* — *Conciliatur libertas arbitrii ad non peccandum cum necessitate auxilii ad cavendum peccatum, ex Bellarmino.* — His ergo positis, duæ regulæ sunt constituendæ. Prima est, quoties occasio peccandi in particulari occurrit, et homo non potest in tali

puncto et momento peccatum vitare sine auxilio Dei, illi adest sufficiens auxilium quo possit non peccare, et hoc modo conciliatur libertas arbitrii ad non peccandum, cum necessitate auxilii ad cavendum peccatum; hanc sumo ex doctissimo Bellarmino, lib. 2 de Grat. et liber. arbitr., cap. 7, et in superioribus satis est probata, quia si homo sua virtute non potest vitare peccatum, et divina non illi adest, simpliciter non potest, nec per se, nec per alium: ergo non erit liber ad vitandum peccatum; ergo, ut sit liber pro tali tempore, vel momento, necesse est ut pro eodem illi adsit auxilium. Confirmatur, nam si nunc homo faciat quod vitare non potest, etiamsi illud de se sit malum et peccatum materialiter, homini non imputabitur ad culpam, juxta doctrinam Augustini, neminem, scilicet, peccare in eo quod vitare non potest, lib. 3 de Liber. arbitr., cap. 18 et 19, et lib. 1 de Peccat. merit. et remiss., cap. 35; ergo signum est tunc hominem non fuisse habiturum liberum arbitrium ad vitandum actum, si caret sufficienti auxilio; non enim ob aliam causam actus non imputaretur ad culpam; ergo cum e contrario constet actum imputari, necesse est dicere auxilium non deesse, et ita fieri concordiam inter libertatem et auxilium necessarium; et hoc modo illa duo conciliant Patres communiter: Innocentius, in epistol. ad Concilia Milevit. et Carthag.; Coelestinus, in epistol. ad Episcop. Galliae, cap. 5; Leo, serm. 6 de Passione Domini; Hieronymus, in Epistol. ad Ctesiphontem; Augustinus, 2 de Peccat. merit., cap. 17, et lib. 5 contra Julian., cap. 5; et Chrysostomus, homil. 16 in ad Hebræos, et alii supra citati.

5. *Aliorum opinio.*—*Respondetur.*—Dicunt vero aliqui hoc fore verum, si talis carentia auxilii non sit ipsi homini libera, saltem in causa; secus vero esse quando ipse per actum liberum fuit sibi causa carentiæ talis auxilii, tunc enim simpliciter illi imputatur peccatum, et consequenter libere illud committit, non obstante impotentia illa, quia illamet voluntaria et libera est. Sed hoc intelligi potest, vel de culpa quæ jam præcessit, et, postquam commissa fuit, jam non est in potestate hominis, quin fuerit commissa, licet duret sine nova culpa; vel de culpa quæ committitur, quando homo caret sufficienti auxilio. In priori sensu, falsa est responsio; nam, licet homo libere et culpabiliter inebrietur, nihilominus dum jam est ebrius, non habet usum libertatis, quia sic dispositus est impotens ad ra-

tionem utendum pro eo tempore, et ideo quæ tunc agit, vel non sunt peccata ullo modo, si invincibiliter non fuerunt prævisa, vel etiam si fuerunt peccata in causa, jam tunc non sunt nova peccata quæ imputentur, quidquid sit de quæstione an possint denominari peccata a præcedenti culpa, quæ solum est de modo loquendi, et ad rem præsentem nihil refert; quæ est doctrina Augustini, lib. 22 contra Faustum, cap. 44 et 78, et sumitur etiam ex aliis locis supra allegatis, estque trita et communis in Theologia. In præsentem autem supponimus hominem, in tali occasione peccandi, non excusari agendo id quod malum est, quia, ut recte dixit Augustinus, tract. 53 in Joan., gratiæ necessitas non est ita defendenda, ut per eam excusetur peccatum, contra illud Eccles. 15: *Ne dicas: Per Deum abest.*

6. In posteriori autem sensu, vel involvitur repugnantia, vel nulla etiam est repositio, quia, si homo dicitur carere hic et nunc, in tali occasione, sufficienti auxilio ad non peccandum, quia actu peccat, vel hoc intelligitur de hoc eodem peccato, ad quod vitandum non habet sufficiens auxilium, vel propter aliud ordine naturæ prius. Primum involvit repugnantiam, tunc quia supponitur hominem peccare in eo quod vitare non potest, quia ad id non habet auxilium sufficiens; tum etiam quia prius est habere et non habere auxilium sufficiens, quam peccare et non peccare; quia, sicut potentia est prior actu, ita necesse est ut auxilium sufficiens, quod dat posse, præcedat, vel ad vitandum peccatum, si homo velit, vel ut possit ei imputari peccatum, si nolit: ergo non potest ipsummet peccatum, quod committi dicitur sine sufficienti auxilio, esse causa vel ratio carentiæ talis auxilii. Non deerit fortasse qui respondeat hic intercedere prius et posterius in diversis generibus causarum; nam est peccatum ratio carentiæ auxilii, per modum dispositionis, vel ratione demeriti: carentia autem præcedit in genere causæ non impediens, quæ ad efficientem reducit.

7. Sed hæc doctrina, præter generalem difficultatem quam habet, de qua infra in materia de justificatione, hic applicata involvit repugnantiam, quia si defectus auxilii sufficientis præcedit in genere causæ efficientis, eo ipso destruit rationem culpæ et demeriti in actu subsequente, et ideo impossibile est ut talis actus præcedat in ratione pravæ dispositionis demeritoria talis auxilii; loquendo enim de eodem peccato, impossibile est ut

idem actus materialiter malus, qui sequitur ex carentia auxilii, sit ratio seu causa talis privationis auxilii; si vero contingat in eodem momento præcedere in homine aliud peccatum natura prius, tunc ad illud revocanda est quæstio; oportebit enim ut, ad illud prius peccatum vitandum, præcedat sufficiens auxilium; nam, si non præcedat, jam illud peccatum non libere fieret, et consequenter non esset peccatum; si autem præcedat, jam illud auxilium, quod est proxime sufficiens ad prius peccatum vitandum, erit mediate sufficiens ad vitandum subsequens peccatum; nam, si homo bene uteretur priori auxilio, vitando prius peccatum, reciperet auxilium sufficiens proxime ad vitandum peccatum posterius, et hoc satis est ut peccet, quia sua voluntate caret proximo sufficienti auxilio. Hæc tamen moraliter humano modo non contingunt in uno eodemque momento, sed in successione aliqua, licet interdum brevis sit, ut mox explicabitur. Ex quo inferunt aliqui regulam positam non esse necessario intelligendam de auxilio proximo ad non peccandum, sed sufficere ut sit remotum. Ita simpliciter affirmat Bellarminus supra. Videtur autem intelligendum, si regula non tantum de præsentem tempore et momento in quo peccatum vitandum est, sed etiam de aliquo futuro tempore, in quo tentationi resistendum est, intelligatur. Nam si præcise loquamur de tempore pro quo vitandum est peccatum, semper auxilium proxime sufficiens adesse oportet, quia illud quod dicitur remotum, tale esse oportet, ut per illud statim homo possit vitare peccatum, quamdiu per illud auxilium operatur, et habere aliud auxilium si fuerit necessarium ad vitandum subsequens peccatum in illo puncto vel tempore quo vitare necesse est. Declaratur exemplo, quia non semper tempore tentationis statim recipit homo auxilium quo immediate tentationem vincat; sæpe enim oportet prius orare et auxilium impetrare ad resistendum tentationi, ut docent Pontifices locis citatis, et Concilium Trident., cap. 11, dicens: *Deus jubet facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis*, ex Augustino, lib. de Nat. et grat., cap. 34. Ideoque, in Oratione Dominica, petimus: *Et ne nos inducas in tentationem*; et Matth. 26, dixit Christus: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem*. Ut ergo homo vere sit tunc liber ad non peccandum, necessarium est ut in eomet tempore homo habeat actuale auxilium sufficiens ad orandum sicut oportet, ad obtinendum aliud auxilium

quo possit resistere tentationi. Nam si tale auxilium non habeat, non erit hic et nunc simpliciter liber ad orandum, ut mox dicemus, et consequenter nec habebit auxilium sufficiens prævium, vel remotum, ad resistendum tentationi.

8. Ex quo etiam sequitur ut illudmet auxilium, sufficiens ad orandum, regulariter sit etiam proxime sufficiens ad vitandum peccatum pro illo tempore pro quo quis orat, quia dum actu quis orat, petendo auxilium contra tentationem, non peccat, sed pro tunc resistit tentationi, alioqui non vere et ex corde oraret. Et ideo, licet, respectu victoriæ postea de tentatione obtinendæ, auxilium illud orandi possit dici remotum, respectu resistentiæ, quæ fit eodem tempore quo oratur, auxilium ad orandum est etiam proximum ad non peccandum, dum quis illo bene utitur orando. Et ideo, si pro tunc orare omittat, eo ipso peccabit, licet non tam contra præceptum orandi, quam contra illud præceptum, pro quo servando orare tenebatur, quia ex eodem data fuit obligatio orandi, quia oratio erat tunc veluti medium necessarium ad resistendum tentationi. Quod si contingeret hominem, propter orationem prius omissam, in posteriori tempore privari auxilio sine quo jam non posset resistere tentationi, tunc re vera non imputaretur lapsus ad novam culpam, vel culpæ augmentum, sed imputaretur tantum ratione prioris omissionis; nam reliqua sequuntur ex necessitate, et sine nova libertate, posita illa hypothesi; illam tamen non admittimus, nisi in illo casu, in quo usus rationis absorbeatur, et consideratio mali tanta sit, ut non sit jam in potestate hominis applicare mentem ad considerandum et resistendum; nam si homo sit compos sui, et intellectum applicare ad considerandum valeat, nunquam destituitur auxilio sufficiente ad vitanda saltem singula peccata pro qualibet definita occasione, ut in regula dictum est.

9. *Objectio.*—Sed objici tandem potest, ut regula magis explicetur, quia vel est sermo de auxilio sufficiente ad vitandum peccatum, vel vincendam tentationem, pro aliqua mora temporis, vel tantum pro singulis momentis cujusque temporis. In priori casu, non videtur necessaria regula, quia, licet homo destituitur sufficienti auxilio necessario ad non peccandum pro aliqua mora temporis, resistendo constanter opportune tentationi, nihilominus poterit esse simpliciter liber ad non peccandum, quia pro singulis momentis potest res-